



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

XIV. De Mortuis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

74. Duolibelli, &c.] Liber Ioannis Polanci
 è Soc. IESV, Methodus ad adiuuandos morien-
 tes, inscriptus, optimus est; cum præ manibus
 Parochus habeat.

CAPVT XIV.
 DE MORTUIS.

SVMMARIVM.

1. Quanto tēpore à morte sepeliendus sit mortuus.
2. An sepeliendum omni hora, & die.
3. An sepeliendum gratis.
4. Quibus negatur sepultura Ecclesiastica.
5. De puero in partu periclitante.
6. Moriens in Torneamentis, occidens se, non con-
 fessus, non communicatus, an sint sepeliendi.
7. Quid aget Curatus si vocetur ad confessionem
 eius qui omnino non potest loqui.
8. Censuratus absolutus in morte sepeliatur.
9. Quid intelligatur per verbum sepelire.
10. De infirmo blasphemante in morte.
11. Inuentus sine signo baptismi.
12. Prohibeat Curatus insolita super mortuos.
13. Quomodo exigat emolumenta sepult.
14. An Curatus permittat aperitionem mortuorū.
15. An mortua in partu introducenda sit in Eccle-
 sia more parturientium.
16. Missa de requiem quando dicatur.
17. Quid de candelis super sepulturas.
18. Distributio candelarum ad absentiam alterius
 Curati.

QVÆST. I. Quot horis debeat mortuus te-
 neri super terram, antequam sepeliatur?

S 4.

R. ES. DE.

RESP. Non esse determinatum. In quibus locis vidi assignari octo, vel ad minus sex horas. Conforma te consuetudini, & indubio consulte medicum, qui si iudicauerit sepeliendum, sepelias. Si vero habes constitutiones tui Episcopi, sufficiet eas obseruare. Et si cares constitutione, & medico, facto experimento, *vt c. 6. nu. 10.* poteris tuto sepelire:

2. QVÆST. *An omni hora & die possit sepeliri mortuus?*

RESP. Quis vetat? etiam si sit dies Pasche. Vidi non admitti ad sepulturam in die Parasceues, sed qua ratione, nescio. Verum est quod si sepeliatur, non pulsabitur campana. Sepelire vero de nocte, vidi prohibitum in multis locis, tu obserua constitutiones tui Episcopi, si non ad sunt, obserua consuetudinem loci.

3. QVÆST. *An Curatus teneatur sepelire suos mortuos?*

RESP. Teneri, & gratis vbi ita sit consuetum. Et vbi est laudabilis consuetudo aliquid tribuendi pro funere, poterit recipere solitum dari. Omnes. Ita tamen agat: Prius mortuum liber sepeliat, deinde petat consuetam largitionem. *Silu. sepult. q. 3. Sor. de iust. lib. 9. q. 6. art. 2.* quam postea (si negaretur) poterit petere etiam via iudiciali: debetur enim de iustitia. Sed Curatus hoc remedio non vtatur, nisi cum omni alia via prius tentata, suum nequit habere. Nunquam tamen ante sepulturam quærat habere cautionem de isto solito. Vidi alicubi Curatum noluisse admittere ad sepulturam, ni daretur cautio de solito ab his, in quorū domo mortuus iacebat.

cebat. Et alibi, contra eisdem processum fuisse
via iuridica, quando mortuus non habebat unde
solueret. Tu ab omnibus istis caue, quia irratio-
nabilia, & scandalosa. Et Curatus in his debet
esse tam alienus, vt mortaliter peccet, & sit ex-
communicatus, si induxerit aliquem ad promit-
tendum, aut iurandum se accepturum sepul-
turam in sua Ecclesia, aut quam iam ante acce-
pisset, non mutaturum. Nau. c. 25. num. 132.

QVÆST. An aliquibus sit Ecclesiastica sepul-
tura neganda?

RESP. Affirmatiuè, & esse negandam.

4. Non baptizato dummodo sit extra cor-
pus matris, quia dum non est extractus, est pars
ventris. Et si sepulta matre, aliqua de causa ex-
trahatur, & foetus separetur à matre, non est se-
peliendus amplius in sacro, propter eandem ra-
tionem practicum. Baptizatus vero baptismo
dubio, ita vt si superuixisset, rebaptizandus fuisset
cum conditione, sepelitur in sacro. Silu. baptis-
m. 4. quest. 1.

Quid de isto casu. Dum in partu periclitare-
tur infans nondum integrè natus, obstetrix eum
baptizauit, dicente matre puerum viuere, quia
mouebat se, tamen statim plenè natus, apparuit
mortuus, vbi erit sepeliendus? Consulti Docto-
res asseruerunt sepeliendum in sacro, quia suf-
ficienter probatur vixisse dum fuit baptizatus:
quod vero natus visus fuerit mortuus, nihil aliud
concludit quam natum mortuum, quod nō im-
pedit sepulturam. Deducitur etiam ex Silu. bapt-
4. q. 1. vbi concedit non priuare Ecclesiastica se-
pultura baptizatum baptismo dubio;

S. S.

Si ve-

Si vero infans in partu baptizetur, & non constat baptizanti an viuat, nec ne, nec matri, quæ pro dolore istud non attendit, si baptizatus apparet mortuus, sepeliendus in sacro. Ratio videtur esse, quia sicuti ibidem sepelitur baptizatus baptismo dubio, sic venit sepeliendus baptizatus sub dubio an viueret, quia semper baptismus dicitur dubius, posito dubio in forma, vel susceptore, vel materia, & ita iste baptizatus sub dubio, videtur sepeliendus, vt sepelitur baptizatus baptismo dubio. Ista tamen intelligo cum hac limitatione, dum vero post baptismum adhuc daret dubium, an infans tempore baptismi viueret, nec ne, quia si constaret tempore baptismi fuisse mortuum, non est sepeliendus in sacro.

Caret idem Ecclesiastica sepultura, Moriens in torneamentis, etiam si accepto vulnere viuat, & pœniteat. Idem est de moriente in duello. Concil. Trident. *sess. 15. cap. 19. de reform.* Vide Decretal. Gregor. *del libro 5. tit. 3. cap. 1. & 2.* Siluest. Tabienam. Nauar. *Manu. c. 15. num. 9.*

Occidens se ex desperatione, vel ira, sed si viuat, & pœniteat, sepelitur.

Non confessus, vel non communicatus illo anno, hoc est per annum. Pro quo obserua Constitutiones tui Episcopi: si non adsunt, & istum non confessum, vel non communicatum fuisse clare constat non sepelias; si est dubium sepeliendus est, sicuti si factum sit occultum. *Sil. sepult. q. 10. not. 1.*

* Porro Curatus notet, si vocetur pro confessione eius, qui omnino non valet nec verbo, nec

figuo.

signo confiteri, nec ostendere signum contritionis, ubi isti non confessi non sepeliuntur in sacro, vel alia pœna puniuntur domestici mortui, adhibeat testes, ne forte apud Episcopum ioculetur quasi sua culpa non confessus mortuus fuerit. Postea enim fieri, ut isti, si liberarentur à pœna istam negligentiam in Curatum dericerent.

Monachus proprietarius. Potest euenire casus Curato in Apostata, ut bis vidi in aliena Cura.

Blasphemus Dei. Addit Armil. *sepult.* Si contempsit facere pœnitentiam.

Notorius peccator mortuus ipso notorio mortali.

Interdictus & excommunicatus. Adde alios de quibus vide Summistas *verbo sepult.*

Qui tamen omnes excepto mortuo in torneamento, si ostenderit signa contritionis, sepeliuntur in sacro.

Usurarius publicus, si potuit præstare quæ dicuntur *c. 7. nu. 96.* & licet dicat se in testamento relinquere, ut usuræ soluantur, non est sepeliendus in sacro, & sepeliens est excommunicatus. Nauarr. *cap. 26. num. 8.* Tol. *Inst. lib. 5. c. 36. Sed absoluit ab ea Episcopus.*

Usurarius vero occultus potest sepeliri. Aduertat vero Curatus, quod si admittit ad sepulturam eum, qui restitutionem fecisset, si ei negata fuisset sepultura, quod ipse Curatus tenetur pro eo restituere. Silu. *usur. 7. quest. 2. in fine.* licet credo possit excusari iuxta dicto *cap. 5. nu. 19.*

S. 6

si Om-

5. Omnis autem censuratus, puta excommunicatus, interdictus, vel suspensus absolutus in articulo mortis, potest in sacrum sepeliri. De excommunicato affirmat Tol. *lib. inst. p. c. 16. num. 9.*

Si vero excommunicatus in eo articulo non fuit absolutus, sed ostendit signa contritionis, ad que probanda sufficiet vnus testis, postquam absolutus fuerit ab excommunicatione, ab eo cui absolutio erat reseruata, poterit sepeliri in sacro. *Nauar. c. 26. n. 32. Tolet. Inst. lib. 1. cap. 26. num. 10.*

6. Quid vero intelligatur verbo sepelire, cum dicitur sepelientem excommunicari. Caietan. *excommunic. casu 46.* vult esse solum eum, qui mortuum deponit in tumulo, & mandantes non autem facientes officium sepulturæ: At *Nauar. cap. 27. nu. 237.* citat glossam dicentem excommunicari omnes efferentes, & comitantes mortuum, & officium sepulturæ facientes. *Suarez tom. 5. disp. 12. sect. 4.* videtur hoc idem tenere. Sed & si quis bona fide, crederet fuisse absolutos, vel dedisse cautionem, quando est dauda, & sepeliret, nō incurreret excommunicationem. *Caietan. & Nauar. ibi.*

7. QVÆST. Quid de isto casu: Quidam infirmus antequam moreretur pessimè blasphemabat, & blasphemando mortuus est, quomodo sepeliendus?

RESP. Si iste erat freneticus, tuto debet in sacro sepeliri; si nescitur an fuerit freneticus, si quidem habuit Sacramenta, debet iudicari freneticus, quod facile erit cognitu. Si vero non fue-

fuert Fredericus, quod etiam bene constabit, puta si blasphemabat ex causa, non sepeliendus in sacro, quia mortuus est in statu peccati mortalis.

Porro, quia etiam potuit blasphemasse ex inadvertentia, vel lapsu linguæ, quæ excusant à mortali, ego non sepelirem nisi monito Episcopo, nam saltem hoc cederet in cautionem aliorum blasphemantium, & ex hoc capite posset excusari in foro conscientiæ, at non in foro exteriori, quia Ecclesia non iudicat de occultis, sed de clavis, & huius peccatum clarum est in tali foro. Porro Episcopus viderit.

8. *QVÆST.* *Quid ager Curatus in sua parochia, puta in crypta, vel in via inueniat mortuum non habentem aliquod signum baptismi, quomodo hunc sepeliet?*

RESP. Observandas constitutiones Episcopi, si hac de re adsunt, si non adsunt, consulendum Episcopum; si hoc fieri nō potest, & probabiliter potest mortuus iudicari infidelis, non sepeliat in sacro: si æque est probabile, esse & non esse fidelem; sepeliat in sacro, quia non constando ei aliter, potest credere fidelem, & conditio boni nominis quam non amisit mortuus est potior.

Aduerrat tamen, antequam mortuum loco moueat, vt factum notificet magistratui seculari, seu curiæ, quia fere vbique cautum est, non sepeliendos similes mortuos, sine cognitione curiæ, & hoc pro bono publico, ad quod non turbandum: seu impediendum Curatus tenetur; est enim lex rationalis.

Curatus prohibeat super mortuum poni insolita,

solita, dum fertur ad tumulum, multo magis sapientia superstitionem, puta capillos vxoris, & similia: & si sui admoniti non desinant, rem ad Episcopum deferat. Sed & ipse, si cognati mortui sunt plebeij, & non timetur scandalum, poterit veluti in pœnam similiarum rerum, non facere super mortuum officium sepulturæ, vt ab istis sui desuescant.

10. Si cadauer defertur in aliena Ecclesia, & Curato obuenant aliqua, puta quarta funeralis aut similia, & ea debentes negent, non rixetur sed absoluto officio, re delata ad Episcopum inde iustitiam sibi sumat. Modestia enim Ecclesiastici nota debet esse.

II. QVÆST. *An Curatus sinat modicos aperire corpora mortuorum delata ad Ecclesiam?*

RESP. Si in loco cognati defuncti male habent corpora defunctorum aperiri, Curatus non permittat, nisi prius habita licentia propinquorum, cum testibus vt molestiam euitet, si questionem instituant. Si vero propinqui in loco de non curant, Curatus permittat maxime si vagantur morbi medicis ignoti, qui ideo cupiunt aperire mortuos, vt sit inde remedium sanis, imo tali casu expedit aperire.

12. QVÆST. *Si puerpera in partu moriatur an antequam deferatur ad Ecclesiam pro sepultura super eam debeant legi orationes ad introducendam mulierem in Ecclesiam post partum.*

RESP. Me vidisse aliquos de hac re scrupulos actoris actos. Sed tu dic, quod non debent legi, quia, vt patet, orationes sunt pro viua, non pro mortua.

13. QVÆST.

13. QVÆST. *An Missa de Requiem possit dici omni die?*

RESP. Pro sepeliendo mortuo & pro anniversario posse dici, omni, die etiam dominico. Rubr. Missal. *de Missis defunctorum*, Azor. *Inst. prima parte lib. 10. cap. 32. quæst. 7.* Addit curandum, ut in dominico, & in die festo, populus habeat Missam currentem: tu intellige, in quantum potest, quia ad impossibile nemo tenetur. Sed nec in Parasceue potest dici Missa de requiem, quia nec illa, nec alia dicitur. Idem credo de Sabbatho Sancto. Idem de die Paschæ.

QVÆST. *An idem sit observandum in alijs festis eiusdem classis, puta in Natiuitate Domini, in Epiphania, in Ascensione, in Pentecoste, in festo Corporis Christi, in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, in festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in Assumptione Beatae Virginis, in festo omnium Sanctorum, in dedicatione Ecclesie, in festo Patroni loci, vel tutelari Ecclesie?*

RESP. Nullibi, quod sciam, esse cautum; distinguere tamen. Vbi non adest nisi vnica Missa, ego non dicerem nisi currentem, vbi autem sunt plures, quod inconueniet dicere vnã currentem, & aliam de requiem?

Aliæ Missæ de requiem possunt semper dici, excepto in duplici. rubr. Missal. *de Missis defunctorum.*

14. * QVÆST. *Quid de isto casu. In die commemorationis omnium Defunctorum in quibusdam locis feruntur à populo candela, & accenduntur super sepulturas: nunc quaritur, an absoluto*

luto officio, vel ad libitum eas ponentium possint ac
eisdem auferri; vel an eo ipso quod apposta acqui-
rantur Ecclesia?

RESP. Iuxta consuetudinem loci practican-
dum: si dubium sit super consuetudine conso-
latur Episcopus, & iussa exequatur.

15. QVÆST. Si in Ecclesia curata, in qua
sint duo Curati, & aliqui Capellani contingat fe-
ri per exemplum. Anniuersarium, & desit unus ex
dictis Curatis, an tunc lucretur suam partem, ac
si esset præsens, vel an eam amittat, eo modo, quo de
distributionibus disponit Conc. Trid.

RESP. Iuxta consuetudinem receptam loci
pariter agendum; cum possit præscribere con-
tra Concil.

A. V I C T O R E L L I

AD CAPVT XIV. NOTÆ.

Induxerit, &c.] De peccato mortifero, c. A-
nimarum de sepult. lib. 6: De excommunica-
tione (hæc Papalis est, & ipso facto Pontificiæ le-
gis violatores afficit) Clem. Cupientes de poenis.

Ad iurandum, &c.] adde & ad vouendum,
Clem. cit.

4. Hæreticus quoque Ecclesiastica sepultu-
ra priuandus, est enim excommunicatus; etiam.
si post mortem constet de hæresi. c. sane 24. q. 2.

Qui seipsum occidit, cum mentis compos
non esset, fidelium sepultura priuandus non est,
Rodriquez parte 2. cap. 65.

Cadauer hominis fidelis inuentum in puteo
in sacro loco humandum est: debemus enim
con-

conijcere, illuc illud proiectum fuisse, vel hominem viuum. Rodriq. *loc. cit.*

A P P E N D I X I.

IN fidelium cadaueribus sacra loca polluentur, si ea in ijs tumulentur, c. *Ecclesiam*, 1. & 2. de consecrat. dist. 1. non autem hæreticorum, nisi quatenus sunt excommunicati.

Si hæreticus non esset denunciatus, cadaueris eius funeratione sacra ædes non pollueretur; quia post Conc. Constant. excommunicati denunciati tantum, & publici Clericorum percussores vitandi sunt: at quos viuos non vitamus, defunctos vitabimus? Vide cap. *sacris*, de sepult. lib. 6. Nauar. lib. 5. consil. 15. de hæret. nu. 4. in cap. 1. §. si laboret, de pœnit. dist. 6. in Man. c. 27. n. 35. Couar in cap. *Alma mater*, part. 1. §. 2. n. 2. Suarez in 3. p. S. Thom. tom. 3. d. 81. sect. 4. Viet. in Summa q. 99.

Si cadauer excommunicati denunciati in loco sacro, ea mente, collocetur; vt inde post paucas horas translatum in non sacro loco tumuletur, Sacer locus non censetur pollutus; pœnæ enim sunt restringendæ, cap. *odia*, de reg. iur. lib. 6. Sepultura, non autem simplici depositione ad paucas horas, cadaueris excommunicati Sacer locus violatur. Vide cap. *consulvisti de consecrat. Ecclesie, vel Altaris*. De hac re pluribus alias, rogatus, differui.

A P P E N D I X II.

Dominus pro seruo impubere sepulturam Deligere potest. Silu. vide *sepultura num. 7.*

Es

Et pater pro filio impubere, si ita ferat consuetudo, *c. licet, de sepult. lib. 6.*

Filius familias post pubertatem, sine patris consensu, sibi potest sepulturam eligere. *c. licet. cit.*


Cadaver hominis post pubertatem morientis, sine sepulturæ electione, vel in sepulchro maiorum suorum vel in parochiali Ecclesia tumulandum est, *ex capitulo licet citato*, nisi contraria consuetudo repugnet.

Mulier, quæ multos viros successivè habuit, decedens, sepultura non electa, dum ultimo viro tumulanda est, *c. is qui, de sepult. in 6.*

Habens domicilium in civitate, vel castro, si rus petat, animi gratia, vel ut ruralia exercent, ibique sepultura non electa moriatur; in templo in quo maiorum suorum antiqua erat sepultura funerandus erit, *capitulo is qui citato.*

Hominum, Iudicum sententia, iugulorum cadavera non omnia humanda in loco sacro, sequenda loci consuetudo. Hæretici Ecclesiastica sepultura priuandi, & illi, qui capite damnati, ante sententia excommunicationem, seipsos occidunt. Vide Martinum De rio *lib. 5. sect. 19.*

Disquis. Mag.



CAPUT

AD
Conj

1. Ha

2. Qu

3. St

4. Qu

5. Po

6. Co

7. Ca

8. Po

9. Sc

10. St

11. For

12. Qu

13. Nu

14. Co

15. Qu

16. Int

17. Op

18. Op

19. Op

20. Op

21. Pr

22. In

n

23. In